Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Dn

qz nomen tuum invocatum est super civitatem tuam et super populum tuum
Cumque adhuc loquerer et orarem et confiterer peccata mea et peccata
populi mei israhel et prosternerem preces meas coram domino deo meo pro
monte sancto dei mei adhuc loquente me et orante ecce vir
gabriel quem videram in visione a principio cito volans tetigit me tempore
sacrificii vespertini et docuit me et locutus est mihi dixit quoque daniel
Nunc ergo egressus sermo de mandare te et intelligentia ab exordio
precum tuarum egressus est sermo ego autem veni ut indicem tibi quoniam
vir desideriorum es Tu ergo animadverte sermonem et intelligite visionem
Septuaginta ebdomade abbreviate sunt super populum tuum et super urbem
sanctam tuam ut prevaricatio consumetur et finem accipiat peccatum et deleatur
iniquitas et adducatur iustitia sempiterna et impleatur visio et prophe
ta et ungatur sanctus sanctorum Scito ergo et animadverte ab exitu ver
bi ut iterum edificetur hierusalem usque ad christum ducem ebdoma
des sunt septem et ebdomades sexaginta duo erunt et rursum edi
ficabitur platea et murus in angustia temporum et post ebdomades
sexaginta duas occidetur xpus et non erit ei populus qui eum negaturus
est et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo et
finis eius vastitas et post finem belli statuta desolatio Confirmabit autem
pacem multis ebdomada una et in dimidio ebdomadis deficiet
hostia et sacrificium et in templo erit abominatio desolationis et usque
ad consummationem et finem perseverabit desolatio

visio dani pe
c. x.

Visio daniel Nona X.

In anno tertio regni cyri regis persarum verbum revelatum est
daniel cognomento balthasar et verum est et fortitudo
magna intellexitque simonem intelligentia enim opus est in visione
In diebus illis ego daniel lugebam trium ebdomadum dierum
panem desiderabilem non comedi et caro et vinum non intraverunt in os
meum sed nec ungebar unguento donec impleverunt trium ebdomadum
dies Die autem vicesima et prima mensis primi erat autem in ripa fluminis
magni qui est tigris et levavi oculos meos et vidi ecce vir
vestitus lineis et femora eius accincta auro obrizo et corpus eius
quasi crisolitus et facies eius velut species fulguris et oculi eius
ut lampades ardentes et brachia eius et quod deorsum usque ad pedes quasi
species eructantis et vox sermonum eius sicut vox multitudinis Vidi